

tus Gregorius, libro XXX. in Job, capite XVII. « Tales, inquit, secum dux noster in prædicationis prælium duxit, qui, despecta salute corporum, hostes suos moriendo, prosternerent; eorumque gladios non armis, non gladiis, sed patientia superarent. Armati enim venerunt sub duce suo ad prælium martyres (apostoli imprimis) nostri: sed tubis, sed lagenis, et lampadibus. Qui sonuerunt tubis dum prædicar, confregerunt lagenas, dum solvenda in passione sua corpora hostilibus gladiis supponunt; resplenderunt lampadibus, dum post solutionem corporum miraculis coruscaverunt. Moxque hostes in fugam conversi; quia dum mortuorum martyrum corpora miraculis coruscare conspiciunt, luce veritatis fracti, quod impugnaverunt, crediderunt. » Sic ille. Gloriabatur Scipio Africanus 300. suorum militum fortitudine, quando interrogatus, quare fretus auderet in Africam trajicere, demonstravit 300. viros dicens: *Nullus horum est, qui non sit, me iubente, conscensa hac turri, præcipitem se in mare dejacturus*, Plut. in apophth. Rom. Gloriabatur et Chasiorum princeps, quod tales haberet subditos, qui ab ipsius imperium de rupibus se præcepissent, in enses irruant, in undas desiliant, in ignem se conjiciant, apud Nicetam, libro II. de imp. Isaacii. Priore etiam sæculo dux Albanus capitaneus generalis exercitus Philippi II. habebat quatuor centum juvenes animosos et resolutos, quos vocabat *prodigos vitæ et perditos*, vulgo *enfants perdus*. Hos in conflictu immittebat seorsim in latas hostium fortius, illi ut audacissimi et pugnacissimi certique mori, turbabant ordines hostium, eosque rumpendo, ordinarie pariebant victoriam, ut scribit P. Corn. in Matth. cap. X. Hujusmodi milites Christi erant apostoli, eo magis mirandi ac laudandi, quod non eligendo sibi mortis genus, sed permittendo se tyrannorum furori et libidini neque etiam spe vanæ gloriæ aut remunerationis hujus sæculi, sed præcise amore ducis sui Christi omnibus vitæ periculis et mortis generibus sese exposuerint, prodigi vitæ suæ, ut amorem suum erga ipsam demonstrarent: quo adeo æstuabant, ut tormenta omnia despicerent. « Quemadmodum enim igneus homo, inquit Sanctus Chrysostom. in cap. II. Actorum, homilia IV. si in media incidat stipulas, nihil lædetur, sed magis vim exeret suam, nec enim ille quidquam patitur mali, sed qui his reluctantur, ipsi seipso perdunt: ita nunc evenit. Imo potius ac si quis ignem gestans luctetur cum eo, qui importat fenem. Itidem videlicet et apostoli illos adorti sunt multa cum fiducia. Quid enim, obsecro, læsit eos tanta multitudo? Num illis cum egestate et fame fuit conflictatio? Num cum igno-

minia et infamia? » Et mox: « Nonne perinde fuerunt affecti, quasi in somnis vidissent hæc mala aut in pictura? » Et infra: « Atque illud interim mirabilius, quod apostoli nudo corpore consistebant adversus armatos, adversus principes, qui publicum in ipsos jus habebant, imperiti et elingues ac simplices idiotæ adversus impostores et circumventores, etc. »

V. Ut excelsa illa gloria et principatu, quæ in cælis obtinet, dignos se præstarent. Prædictum de illis erat Psal. XLIV. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii* (Prov. XII.) patriarchis duodecim apostoli, ait ibi Arnobius: *Constitues eos principes super omnem terram*. Igitur hunc principatum promereri debebant, et ut filiorum instar Christo fierent proximi, prius strenue pugnare. Scimus ephobos illos nobiles, apud Dan. I. non prius in conspectum et servitium regis Nabuchodonosoris admissos esse, quam bene pasti, omnibus disciplinis excolerentur; hinc enim Hebr. maskilim, h. e. *erudibiles*, appellantur, ut H. Pintus, et Pineda, l. III. de rebus Salom. cap. XIII. observant. Igitur et apostoli, ut in tanta dignitate coram Deo stare cum honore possent, erudiendi ad hoc erant; nec alia ratione, quam variis tribulationibus. Ita enim testatur Sapiens, Sap. III. *In paucis vexati* (Græce *eruditi*) *in multis bene disponuntur. Deus tentavit eos, probatione, tribulatione, ut explicat Augustinus, ep. CXL. et invenit eos dignos se. Hanc dignitatem unde acceperunt, nisi a cruce et martyrio? Qui enim non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus*, ait Matth. X. Dominus. Audierat Satan Jobum in magna apud Deum existimatione esse, appellarique ab eo *servum ipsius, cui non sit alter similis*. Igitur mox petit, ut eum vexare et ventilare posset: quasi alioquin mercenarius tantum servus esset, fucio Deum colens ob collata sibi beneficia. Itaque spoliavit eum omnibus bonis, necnon liberis suis, adeo ut diceret Deus Jobum hæc immerito passum esse. Verum non contentus Satan: *Pellem pro pelle*, inquit, *et cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua*. Itaque eum percutit etiam in carne, et pessimo quidem ulcere, a planta pedis usque ad verticem; incans Dei servum pro magna, quam expectat, gloria cælesti, omnibus plagis vexandum ac versandum esse, ut tanto bono dignus fiat. Neque hic contentus, insuper et uxorem ejus instigavit, ut conjugem derideret. Quid igitur jam quærimus quamobrem apostoli tanta sustinuerint? Christi familiares et domestici erant, imo et quasi *filii* erant, *principes* in cælo constituendi erant. Debeant igitur Patri et magistro suo præ aliis assimilari etiam in passione et tribulatione, qui ei-

dem præ cæteris similiores futuri erant in gloria sessuri una cum ipso in thronis duodecim ad judicandum mundum. Quemadmodum igitur magister eorum Christus, postquam extrema omnia et mortem acerbissimam perpessus est, insuper convicia adhuc et derisiones sustinuit, lancea vulneratus et seductor appellatus est: ita conveniebat, ut apostoli præ aliis acerbissima quæque pro Christo exantarent. Sane Bartholomæus non solum cum Sancto Jobo pellem suam exiit, sed insuper crucifixum esse scribitur, et diu post a tyrannus erutum e sepulcro et in mare projectum, ut in ejus vita habet Metaphrastes. Lapidem, qui in ædificio eminere et conspici esse ad ornatum domus debent, melius quam cæteri elaborandi, tundendi et dedolandi sunt. Hujusmodi erant apostoli, cælum ornaturi suo splendore: multa igitur tensione et pressura opus habebant. Hinc cum de Paulo dixisset Christus ad Ananiam: *Vas electionis est mihi iste*, mox subjunxit: *Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati*, Act. IX. q. d. quia vas electum futurus est, ideo multis persecutionum malleis tundendus, multo igne excoquendus est. Simili ratione dictum a Raphaele Tobie: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te*, Tob. XIII. Agrum, ut bonos fructus proferat, bene arare et excolere, nec semel dumtaxat, sed sæpius oportet. Bartholomæus, ut diximus, sulcum agri significat: bene ergo sulcandus atque exarandus fuit, ut messem apostolo dignam ferre mereretur et coronam.

Jam vero nos, si per omnia heroes istos non possumus imitari, conemur saltem eorum exemplo aliqui præstare, quantum vires nostræ ferent, Deique gratia dabit. Scimus Julium Cæsarem, visu Alexandri Magni statua, illacrymatum esse, quod ipse adulta jam ætate nihil simile præstiterit, quale Alexander gessit juvenis. Doleamus etiam nos, quod nec minima ferre possumus, qui videmus apostolos Christi tanta pertulisse. Ergo ut vel leviora æquo animo feramus, proponamus nobis heroicam ipsorum in patientia fortitudinem. Non habuit Mathathias Macchabææ gentis auctor jam moriturus, ad confirmandos filios suos in tribulatione positos, aptius argumentum, quam ut hortaretur eos ad inspicienda majorum præclara facinora: *Nunc ergo, o filii, inquit, mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis et accipietis gloriam magnam et nomen æternum*, 4. Macch. II. Hunc in finem antiqui Christiani solebant circumire sepulcra apostolorum et martyrum (uti de se et aliis scribit Sanctus Hieronymus, in cap. XL. Ezech.) ut illorum trophæis excitati atque exsti-

mulati, discerent et ipsi pro Christo aliquid pati. Idem nos faciamus, et una cum ipsis venientes veniamus cum exultatione, portantes manipulos nostros.

CONCIO IV.

BONA INJUSTA EXPELLENDA, VELUT SPIRITUS IMMUNDI.

I. Perdunt substantiam. — II. Perdunt Dei gratiam et bona supernaturalia. — III. Turbant animæ quietem et pacem conscientie. — IV. Difficile restituuntur. — V. Sævient maxime in articulo mortis.

THEMA.

Qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur. Luc. VI.

Mirabitur forsitan aliquis, quod in evangelio passim reperiamus, vexatos a diabolo; uti in hodierno non paucos liberatos a Christo, qui vexabantur a spiritibus immundis: nostro vero tempore raro valde audiamus, vexari aut obsideri aliquem a dæmone. Verum melius aperiendi nobis sunt oculi, et tunc inveniemus etiam hoc tempore non unum sed plures ab immundis spiritibus plane possessos et misere vexatos. Tales autem sunt inter cæteros, qui a mammona iniquitatis occupati tenentur. Quid enim est, quod apostolus ad Ephes. IV. ait: *Nolite locum dare diabolo: qui furabatur, jam non furetur?* Nonne aperte indicat, furtum et omne iniquum lucrum malum esse dæmonem, qui in avaro hospitatur? Et cur Christus Dominus Judam aliquando diabolum, hoc est, diabolicam, seu a dæmone agitatam, nominavit? Joan. VI. Nonne quia fur erat (nondum enim proditor erat) et mercedem iniquitatis possedit? Quod enim est dæmon in homine, hoc est, iniquum lucrum et mammon in domo. Immundus spiritus, immundum bonum; imo præstaret a dæmone obsideri, quam ab immundo bono. Tales autem dæmoniacci, timeo, ne complures adhuc reperiantur, qui non modo hospitum illum ad se divertentem libenter admittant, sed ultro etiam advocent, imo vi ac dolo attrahant. Quod ne fiat, eorum execranda perniciosa explicanda est.

Videntur mihi injusti rerum possessores idem fere pati ab injustis bonis, quod justus et Sanctus Job passus est a dæmone, se vexante. Nam:

I. Perdunt propriam substantiam, uti dæmon filios, opes et substantiam Jobi perdidit. Putant aliqui, quod his bonis possint ædificare domum

suam: sed ipsum hi audiant, c. XXVII. ubi loquens de hujusmodi iniquo possessore, ait: *Edificavit sicut tinea domum suam, et sicut custos fecit umbraculum.* Tinea dum in ligno domum sibi truit, lignum erodit et debilitat ac denique corrumpit: sic qui aedificat domum suam de alienis bonis, magis eum destruit: ad summum struit umbraculum, brevi devastandum. Olitor, seu hortulanus, cum in oleribus vel arboribus videt bruchos vel erucas, tantum abest, ut eas horti sui incrementum esse putet, ut potius inde grave plantis suis malum imminere timeat: quamprimum ergo laborat, ut hortum suum ab illis expurget. Nihilo meliora domus incrementa sunt bona injusta. Expertus est mercator quidam Alexandrinus, qui perditis rebus suis, auxilium a S. Joanne patriarcha Alexandrino petit, ut rursus negotiari posset. Accepit ergo quinque libras auri, et navim mercibus onerans navigare cepit, sed tempestate fractus, merces omnes perdidit, sola nave servata. Rursus accepit a sancto libras decem; sed rursus naufragio facto etiam navim una cum mercibus amisit. Redit ergo ad patriarcham, infelicitatem suam deplorans. Vidit causam sanctus ac dixit, hæc eum ideo passum, quod navim illam suam ex male partis comparasset. Dat ergo navim aliam ex Ecclesie bonis justis frumento onustam, et navigare jubet. Vela igitur ventis dedit, et brevissimo tempore in Britanniam appulit, ubi caro pretio vendidit frumentum, et stannum ejus loco emit, quod in navi postea reperit, mira Dei virtute, verum in argentum, utique S. Joannis precibus, in ejus vita, 23. jan. apud Sur. Leontius.

II. Perdunt atque auferunt homini gratiam Dei et bona supernaturalia, dum ipse spoliatur alium bonis temporalibus, adeoque plus sine comparatione adimunt, quam dent; quomodo dæmon spoliavit etiam Jobum sanitate corporis, et percussit insuper ulcere pessimo Giezi, servum Elisæi, dum a Naaman Syro, leproso argentum et vestes per fraudem et mendacia emunxit, una cum donis lepram ejus in se derivavit: idem secundum animam contingit iniquis his mercatoribus: *Accepisti argentum, accepisti et vestes: sed et lepra Naaman adhærebit tibi*, inquit Elisæus, IV. Reg. V. Accepisti, avare, rem alienam; sed et lepra peccati tibi velut pestis adhærebit. B. Petrus Damiani card. in epistola ad Landulphum, XVI. l. V. epist. scribit Romanum quemdam sibi notum nomine Pambonem, clarum genere, sed tenuem facultate, dum grex porcorum per porticum ageretur, astu surripuisse porcum et cum sociis devorasse: nocte vero sequente, dum ipse equum suum fræno tenens obdormisceret,

equum a fure de manu, qua porcum pridie rapuerat, clanculum subductum esse. Hic igitur equum perdidit pro porco, quem paulo ante subdlexerat. Longe pejus contingit eis, qui lucra iniqua parant, quia perdunt Dei gratiam pro vilissima pecunia, a pecude nomen sortita.

III. Turbant animæ quietem et pacem conscientie; quemadmodum et dæmon turbavit Jobum per uxorem, inferendo ei domesticum bellum. Arotanus piscis est, quem gignit Arotan fluvius Zeilam: hic astu se permittit capi: verum capiens mox ipse febris capitur, nec desinit morbus, donec piscis dimittatur, Caussin. in symb. lib. VIII. cap. XVI. Quod hic piscis piscatori, hoc mammona facit raptori. Ita enim Sapiens, Proverb. XX. ait: *Suavis est homini panis mendacii* (hoc est, fraude et injuriis partus) *et postea implebitur os ejus calculo.* Sensit hoc episcopus quidam Commiacensis nomine Joannes, teste Petro Damiani loco citato, qui cum pauperi viduæ porcum auferri præter fas jussisset, et cœnam inde sibi parasset, inder comedendum percussus est in gutture, ita ut postea quamdiu vixit, etiam deposito episcopatu et assumpta professione monastica, semper laboraret in deglutendo cibo, adeo ut hæere semper ad primam et secundam mensam deberet, quo se reficere posset, vixque tantum cibi capere, unde recrearet stomachum. Audi S. Augustinum, in serm. de decem plagis: « Nemo habet injustum lucrum sine justo damno, inquit, v. g. qui furatur, acquirit vestem, sed perdit fidem. Ibi lucrum, ibi damnum: lucrum in arca, damnum in conscientia. » Quis tale lucrum acceptet, nedum ambiat?

IV. Difficile restituuntur; quemadmodum et dæmones non facile expelluntur. Jobum non deseruit dæmon, nisi postquam omnino de victoria desperavit, uti indicant Septuaginta interpretes, qui addunt eum *tempore multo transacto* incitasse uxorem contra virum: deinde uxor ipsa cum ait: *Adhuc tu permanes in simplicitate tua?* Quasi diceret: Post tot vexationes tanto tempore exantillatas? Sic et res alienæ difficile deseruntur. Unde Habacuc II. dicitur: *æ ei, qui multiplicat non sua. Usquequo et aggravat contra se densum lutum?* E denso luto difficulter extrahis pedes: ita ex alienis bonis ægerrime tua separas. Pisces facile in nassam seu sagenam intrans, sed non facile rursus exeunt: os enim latum habet sagenam ad ingressum, angustum ad egressum: ita et bona aliena placide admittuntur, sed perægre restituuntur; nemo enim vult prodere furtum suum. Unde puer ille, apud Plutarchum, in Laconicis, vulpeculam furatus, advenientibus, qui

amiserant, ad quærendum, vestibus eam occuluit: ac licet bestia latus ejus morderet, ac usque ad intestina laceraret, dimittere tamen eam noluit. Postea reprehensus a pueris, quod feram non dimiserit, respondit: *Multo satius est mori, quam in furto deprehendi.* Malunt ergo possessores alienorum bonorum in conscientia lancinari, imo malunt mori aliquando, quam restituere, ne injustitiam suam prodant.

V. Maxime vero affligent et sævient in hominem articulo mortis ac judicii die. Ita enim monet Ecclesiasticus, capite V. *Noli anxius esse in divitiis injustis; non enim proderunt in die obductionis et vindictæ.* Vult dicere mea sententia: Noli committere, ut fias anxius ob divitiis injustas in die mortis. Sic enim paulo post simili phrase ait: *Non appelleris susurro*, hoc est, noli committere susurrum, ut susurro appelleris. Ait igitur: Noli parere tibi anxietatem, quæ prodit e divitiis injustis, maxime in die mortis, cum sensus obducatur, et cælum quasi nubibus obductum fulmina et tonitrua tibi minabuntur. Tunc enim non proderunt, sed oberunt quam maxime. Quemadmodum enim Jobo in suis afflictionibus venerunt funesti nuntii, unus post alium, nuntiantes ei clades singulas a dæmone illatas quas S. Gregorius ipsosmet dæmones fuisse putat: ita possessori injustorum bonorum occurrent in die vindictæ dæmones illi, bona scilicet aliena, et objicient ei varias clades, quas propterea passus est in bonis fortunæ, in bonis propriæ famæ, in bonis animæ et gratiæ, in pace conscientie. Hæc nuntia quasi arcta obsidione prement animam ejus: hæc ipsa, quæ prius ita amavit, incurrent in ipsum, velut tauri furiosi: quo modo anno 1594. armenta boum, quæ rapuerant Tartari, cum ea ante suum exercitum præmississent et concitassent in Polonos, ubi tormentorum impetum in se exclusum adverterunt; verterunt se et in ipsos Tartaros irruerunt, eosque ingenti numero straverunt. Sic illi prædatores a suapte præda extincti sunt: simulque ab insequentibus Polonis cæsi ad triginta millia. Bona male parta, velut boves illi rapina abacti, incurrent simili modo in suos possessores, quando in ultimo conflictu cum dæmonibus præliandum erit; adeoque in præda dabit prædatores suos hostibus in prædam.

Quando igitur tam mali hospites sunt iniqua bona, quid cum iis agendum? Ejiciendi sunt hi dæmones, restituenda suis dominis bona, et quidem omnia. Quemadmodum enim Christus nullum omnino dæmonem in obsessis reliquit, sed quotquot illos inhabitabant, omnes ejecit: de Magdalena semel, de duobus aliis legionem; ita omnia

aliena restituenda sunt. Satis foret homini ab uno Satana possideri; et satis foret avaro propter unum furtivum bonum damnari. Nemo erubescit evomere, si noxium quid comedit: nemo ergo erubescat restituere, si quid alieni accepit. Ac sicuti domui Zacchæi salus facta est, ubi is quæ fraude pararat, restitutum se promisit; ita salutem consequetur qui aliena emovuerit. Optime vero agit qui ab illis se custodit.

CONCIO V.

CULTRO SEU GLADIO JUSTITIÆ QUI UTENDUM.

I. Personarum acceptio vitanda. — II. Considerate et tarde processus fiant. — III. Moderatio adhibenda. — IV. Passiones seponendæ. — V. Munera non accipienda judici.

THEMA.

Omnis turba quærebat eum tangere. Luc. VI.

Cavere diligenter solent parentes, ne filiis infantibus cultros permittant manibus tractandos. Facilis enim et gravis sæpe læsio a cultris timetur illis, qui eis uti nesciunt. Par omnino ratio cum gladio vindictæ, qui et ipse interdum culter appellatur, uti II. Regum XII. versu XXXI. Facile quis errat et seipsum lædit, qui gladio isto utitur sine ratione. Cultrum hunc in corpore suo sensit Bartholomæus, per summum scelus judicis sibi pellem detrahentem; quem et manu gestat, non ut eum turbæ et privatis hominibus, sed magistratui solum porrigat, caute adhibendum. Certe Christus Dominus Petro eum ademittit, et magistratui tradidit, Matthæi XXVI. *Converte gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Infantes dici possunt, qui privata auctoritate seipsum vindicare volunt: quia mentem iracundia perturbatam habent: magistratui hoc agendum est, qui et ipse tamen cautissime tractare cultrum istum debet, ne una cum insontibus seipsum offendant. Rex erat David, summa in humanis potestate præditus; qui tamen, quando viros Rabbath serravit, circumactis super eos carpentis, divisitque cultris (quod et aliis civitatibus Ammonitarum fecit) II. Regum XII. non apparet qua ratione ab immani barbaræ crudelitatis scelere, nimioque vindictæ excessu excusari queat, ut ibi advertit noster Gaspar Sanctius. Possunt ergo non privati solum, sed etiam magistratus hoc cultro seipsum lædere una cum innocentibus; quod ne contingat aliquando, regulas aliquot dabimus, ad usum gladii justitiæ utiles ac necessarias.

I. Personarum acceptio seponenda. Ita præcipit Deus iudicibus, Deuteronomii I. *Nulla erit distantia personarum* (Hebr. *non agnosceatis facies in iudicio*): ita parvum audietis ut magnum: non formidetis a facie viri, quia iudicium Dei est, quasi diceret: Quia Dei vices geritis: cujusmodi executionem mandavit Levitis, Exodi XXXII. *Occidat unusquisque fratrem et amicum et proximum suum.* Qui idcirco commendantur Deuter. XXXIII. *Qui dixit patri suo et matri suæ: Nescio vos, et fratribus suis: Ignoro illos, et nescierunt filios suos* (in occisione illa idololatrarum), hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt.

Quam ob causam etiam aliqui existimant Moysen, cum de monte legem portans descenderet, faciem velasse, ne in hunc potius quam in illum oculos intendere videretur, cum legis prævaricatores puniendos statueret, Exodi XXXIV. Fuit certe hoc receptum apud gentes quoque nonnullas, ut iudices nunquam capitalem sententiam ferrent, nisi obducta cortina aut interjecto velo tegerentur, teste Clemente Rom. libro II. constit. Sancto Basilio, epist. LXXIX. ad Eustachium. Ideo et Thebani clausis oculis iudices pingebant, auctore Plut. in I. de Iside et Osire, quod etiam de Ægyptiis scribit Diodorus Siculus. Nota est illa multorum querela, quam alii Anacharsi, alii Soloni tribuunt; quod leges, non suo, sed iudicum vitio, similes sint aranearum telis, in quibus infirmiora animalia irretiuntur et hærent, validiora vero perrumpunt, apud Valer. I. VII. c. II. et Laert. I. c. III. Nec æquum esse videtur, ut pauperes tantum et pannosi fures in furcis pendeant, divites et potentes in auro et serico incedant. Contra hoc enim tonat Deus, Psal. LXXXI. *Deus stetit in synagoga eorum, in medio autem deus dijudicat. Usquequo iudicatis iniquitatem et facies peccatorum sumitis? Iudicate egeno et pupillo, etc.* Facies peccatorum sumit, qui ad ipsorum mentem se conformans, peccata excusat aut justificat; sicque et ipse fit peccator, similis ei quem absolvit. Non ita, sed in medio stet iudex.

II. Tarde et pensiculate procedendum, præsertim in causa sanguinis et bonorum confiscationibus. Docuit hoc imprimis Deus opt. max. quando ob inmania flagitia vastaturus Pentapolim, prius dixit: *Descendam, et videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint: annon est ita, ut sciam?* Genes. XVIII. *Veritatem enim dies aperit,* ait Seneca, I. II. de ira, *potestque pœna dilata exigi, exacta revocari non potest.* Recte etiam Philo, de confus. ling. Deus: « Dicitur ad visendum descendere, quia omnia priusquam fiant, providet manifestissime, ut doceamur, ne quis homo de

absentibus et futuris et incertis putet se posse conjecturam facere, sed prius maxime prospicere debet, etc. » Notus est Davidis error, in prædiis Miphibosethi, ex facili nimis credulitate ipsi adeptis et servo ejus donatis, II. Reg. XVI. et XIX. Notus Theodosii imp. lapsus in præpropera adeoque iniquissima, cæde Thessalonicensium imperata, qui propterea a S. Ambrosio graviter reprehensus, statuit ad trigesimum semper diem differre executionem in iudicio sanguinis, apud Euseb. I. XI. hist. eccl. c. XVII. Denique, et gentilibus res ista cordi erat, qui apud Athenienses ante iudicium consessum, mactari porcellum jubebant, moxque ejus sanguine sedilia iudicantium aspergi, ut scirent innocentem sanguine se aspersum iri, si innocentem funderent, Sigon. apud Cassinum, libro V. symb. Præclare etiam correctus ab uxore Ptolemæus fuit, qui cum ad tesseras sederet et alea luderet: « Assistens quidam condemnatorum ipsi nomina recitabat, et crimina in eos collata referebat, ut ille, quinam mortis supplicium commoverent, decerneret. Berenice vero uxor ejus, accepto libello e pueri manibus, non permisit ut ad finem usque legerentur; dicens, non sic obiter advertendum animum esse, cum de hominis salute quaeritur, sed altius cogitandum, et relinquenda ludiera: non enim similem esse casum tesserarum et corporum. His auditis, delectatum Ptolemæum ferunt, neque postea unquam inter ludendum de capitalibus causis audivisse. » Refert Ælianus, I. XIV. var. hist. c. XLIII.

III. Moderamen adhibendum, ne mensura delicti excedatur, juxta id Deut. XXV. *Pro mensura peccati erit et plagarum modus: ita dumtaxat, ut quadragenarium numerum (verbera) non excedant.* Remittendum igitur potius aliquid, quam addendum pœnis commertis: *Ne fœde laceratus,* inquit ibi sacer textus, *ante oculos tuos, abeat frater tuus.* Quod adeo observerunt Judæi, ut etiam de quadraginta, plagis unam semper remiserint, uti se expertum fatetur S. Paulus, II. Cor. XLI. *Quinquies quadragenarum una minus accepi.* Deliquit in excessu Saul, quando pœnam capitis statuit in milites, qui comedissent panem usque ad vesperam: quam et in filio exequi stulte et inique cogitabat. Et jure putatur a S. Chrysostomo et aliis, ob nimis severam illam legem a Deo ita punitus, ut ipsius filius solus eam transgredi permitteretur, I. Reg. XIV. ut ibi advertit Sanctius. Gravius adhuc excessit David, quando, uti supra indicavi, viros urbis Rabbath, et populum Ammonitarum, ob acceptum ab eis gravem quemdam in suis legatis despectum (II. Reg. X.) multis in locis: *Serravit et circumegit super eos* (novo

et inaudito supplicio *ferrata carpenta, divisitque cultris, et traduxit in typo laterum,* hoc est, velut lateres in fornace lateritia coxit et affixit, II. Reg. XII. Fuit sane hoc crudele nimis supplicium, eo vel maxime, quod etiam multis innocentibus propter aliquos nocentes irrogatum. Sed eo crudelitatis degenerasse videtur David, quando jam lapsus in adulterium et homicidium, adeoque adhuc in statu peccati fuerat, ut observat ibi Sanctius. Qui ergo semel graviter lapsus est, facile in aliud gravius peccatum impellitur: et qui semel innocentem sanguinem fudit, facile aliorum plurium sanguinem haurit; ut taceam quod libido, qua tunc laborabat David, hominem exæcet et alium a se constituat; qualis certe tunc erat David, qui aliorum peccatum plexit, sua interim scelera longe graviora non correxit: unde et reum mortis pronuntiavit divitem, qui ovem pauperi abstulerat; de seipso vero, quod uxorem Uriæ abstulisset, nullas exegit pœnas, neque reum se agnovit.

E contra minus severe quam debuerat, correxit filios suos graviter delinquentes Heli sacerdos; quia verbis solum non verberibus et vinculis, prout merebantur, castigavit, I. Reg. III. « Namque et minas, ait Chrysostomus, tract. advers. vitup. vitæ monast. I. III. addere debuerat et a suo eos conspectu amovere atque abdicare etiam et verberibus afficere, multoque illis gravius et durius instare, etc. cumque improbe et intempestive filiis parceret, et suam simul et illorum salutem perdidit. » Ipsi enim in prælio una die simul perierunt, et parens, accepto nuntio, cum sella corruit, et cervicem fregit, I. Regum IV. Cecidit vero juxta ostium templi, in quo filios suos tam multa in sacrilegia ruere permisit, ut ubi culpa commissa est, ibi inflingeretur pœna. Unde ibi Sanctus Gregorius: *Ibi cecidit, ubi deliquit.* Fregit autem cervicem ex ruina, quia duras filiorum cervicem non fregit: *Idcirco,* ait P. Damiani, I. VII. epistolar. epist. III. *cervicibus effractis occubuit, quia peccantibus inclementer indulsit.*

IV. Passiones a justitiæ gladio omnes reseccandæ. Et primo amore justitiæ, non propriæ vindictæ gladius exerendus: quia causam reipublicæ, non propriam, agere debet, qui justitiæ administrator est. Hoc argumento suasit Abigail Davidi, ne vindictam sumeret de viro Nabal ob injuriam privatam: *Quia prælia Domini, domine mi tu præliaris,* I. Reg. XXV. q. d. pro Dei gloria et publica salute tu prælia inere soles: privatas injurias negligis. Justum hoc ac deceus etiam gentilibus visum est. Notum illud Hadriani imp. qui unum ex inimicis suis, in quem infestiore fuerat animo, jam princeps factus, cum sibi timentem esset

intuitus: *Sis,* inquit *bono animo, evasisti,* indicans velle, ut se principe incolumis esset, quem privatus perditurus fuerat, Sabel. I. IV. en. VII. Perdomuit hic imperator ultima cæde Judæorum omnium pertinaciam, præcepitque ne cui Judæo facultas introeundi, Jerosolymam daretur, Christianis tantummodo civitate permissa, quam vastatam novis inclusit mœnibus, et a suo nomine Æliam appellavit jure merito, quia Judæorum principes ex privato suo odio Christum necarunt: quo peccandi genere ipse Hadrianus minime deliquit, Platina ex Suetonio.

Secundo, non in favorem propinquorum; quod vel ab Alexandro M. discere possumus, cui cum Olympias mater, ut necem insonti inferret, novem mensium in utero gestationem insusurraret: *Aliam,* inquit, *optima parens, reposee mercedem: hominis salus nullo beneficio pensatur,* Cælius, lib. XXVI. cap. VI. Deliquit contra Putiphar, qui conjugis amore, nimium credulus iniquissimæ et stultissimæ delationi, Josephum condemnavit et tradidit in carcerem, Gen. XXXIX. Poterat enim ex veste Josephi, ab uxore sibi demonstrata, advertere non Josephum, sed uxorem esse ream, ut qua fortior Josepho vestem ei detraxerit, adeoque vim a debiliore pati non potuerit, uti advertit Philo. Sed nimirum cæcus amor conjugis præcipitavit eum in tam iniquum iudicium.

Tertio, non ex timore humano evaginandus aut reconduendus in vaginam. « Noli quaerere fieri iudex, ait Ecclesiasticus, c. VII. nisi valeas virtute irrumpere (h. e. perrumpere) iniquitates; ne forte extimescas faciem potentis, et ponas scandalum in æquitate tua. » In hujus rei symbolum Samuel in convivio armum ex victima Sauli de industria reservavit et apposuit, I. Reg. IX. Sauli, inquam, quia ab armo, seu humero, altior universo populo designandus erat rex, qui animi sui robore, quod per armum significatur, perrumpere debebat omnia scelera, et plectere sine timore. Gravius in hoc deliquit Pilatus, qui timore furiosæ plebis Judæorum et offensæ Cæsaris, stulto et ignavo territus, Christum, quem innocentem deprehenderat et toties pronuntiarat, ad mortem condemnavit. Qui proinde sicuti peccarat, et timore irati sibi Cæsaris seipsum occidit. Nam a Cæsare relegatus Viennam in Gallias: « Tantis irrogante Caio angoribus coarctatus est, ut sua se transverberans manu, malorum compendium mortis celeritate quaesiverit, » ait Paulus Orosius, I. VII. cap. V. Non absque causa Salomon: *Porticum in quo tribunal erat, texit lignis cedrinis a pavimento usque ad summitatem; et domunculam, in qua sederetur ad iudicandum fecit simili opere,* III. Reg.

VII. Indicare enim volebat iudices velut cedros sedere in iudicio debere: quæ enodes sunt et rectissimæ, solidissimæ et quasi osseæ; denique cariem, tineam et vetustatem non admittunt.

V. Non hebetandus auro gladius justitiæ. Ita præcipitur Exodi XXIII. *Insonem et justum non occides, quia aversor impium: nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes et subvertunt verba iustorum.* Accedit Ecclesiasticus, c. VIII. *Multos enim perdidit aurum, inquit, et argentum, et usque ad cor regum extendit et convertit.* Quod si reges etiam pervertit aurum donatum, quanto magis minores iudices? Ursum, ait Lyranus ibi, si laminam splendens aspiciat, obcæcari: sic cæcantur iudices, proposita sibi aurea lamina, ne veritatem in iudicando aspiciant. Rursum Isidorus, libro XVI. capite II. ait, ursum, si in os ejus vitrum immittatur, vim omnem mordendi amittere. Idem præstat aurum iudicibus in bursam injectum, ne pronuntient veritatem. Quamobrem veteres pinxerunt imagines iudicum absque manibus, et summi iudicis oculos conniventes, eo quod justitia nec muneribus capiatur, nec hominum vultu flectatur, ut scribit Plut. l. de Iside. Moyses et Aaron virgas gestarunt, indices regiminis; sed aridas, quæ ex terra nihil humoris attrahere poterant. Tales sint et iudices: nihil emolumenti trahant ad se ex partibus litigantium. Audiant alioquin comminantem sibi Deum Isaïæ V. *Væ qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam iusti aufertis ab eo.* Quo loco inter plures comminationes hanc postremam dirigit in iudices; quemadmodum etiam Moyses in monte Habal maledictiones plurimas ejaculans in peccatores, postremam jacit in munerum susceptores: *Maledictus qui accipit munera, ut percutiat animam sanguinis innocentis. Et dicet omnis populus: Amen,* Deuteronomii XXVII. quasi isti ultimam iniquitatis lineam attigissent; idcirco ultimo maledicti. Qui et principes etiam gentiles graviter animadverterunt in officiales suos, munerum acceptores; uti Alexander Severus imp. qui palam edici iussit, ne ullus qui in magistratu munera acciperet aut aliter aliena rapere, coram se appareret, convictosque hujus delicti capite se mulctaturum dixit: quin et si furem hujusmodi vidisset iudicem, paratum habebat digitum, ut illi oculum erueret; unum etiam e servis suis cruci affigi iussit, quia centum aureos nummos, propter

navatam alicui in aula sua operam, acceperat Fulgos. libro VI. capite III. ex Lampridio. Merito excæcavit eos, qui muneribus prius excæcari voluerunt. Notum illud Cambysis, Persarum regis terribile iudicium, quo iudici iniquo et muneribus corrupto pellem detrahi, eaque tribunal iudicum insterni præcepit. Jure etiam iste iudex pellem suam amisit, qui munera capiendo pellem pauperibus detraxit. « Nuper in Saxonia quidam Decretista nominatus, inquit Cæsarius, libro XI. hist. capite XLVI. mortuus est: qui cum hiaret, lingua in ore defuncti non est inventa. Et merito linguam perdidit moriens, qui illam sæpe venderit vivens. » Quia: « Non licet iudici vendere iustum iudicium, » ait S. Augustinus, ut refertur XI. q. III. E contra in eadem lingua iustus quidam iudex, licet ethnicus, miram accepisse a Deo remunerationem scribitur a Petro de Palude, in IV. sentent. apud S. Antoninum, in summa theol. p. II. t. I. c. X. in hæc verba: « In Francia, dum quidam foderet in agro suo, invenit humanam linguam, vivam, loquentem. Et interrogatus quis esset, respondet fuisse hominis pagani, qui iudex fuerat, a diu in paganismo mortuus et sepultus: et quia nunquam dederat sententiam iniquam, ideo Deus reservaverat illam animam in illo membro suæ linguæ, quousque baptismum reciperet. Unde rogavit, quod significaret hoc episcopo loci, ut veniret ad baptizandum eum: et hoc esset signum veritatis prædictorum, si ipsa lingua baptizata subito in pulverem reverteretur. Advocatur itaque episcopus cum clero et populo: et post locutionem ipsius linguæ de prædictis, coram omnibus baptizata, subito resoluta est in pulverem. » Non potuit lingua hujus corrumpi a vermibus: quia nunquam potuit corrumpi muneribus. De his et Isaïas, c. XXXIII. ait: « Qui ambulat in justitiis et loquitur veritatem, qui projicit avaritiam ex calumnia et excutit manus suas ab omni munere: qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, et claudit oculos suos, ne videat malum: iste in excelsis habitabit: munimenta saxorum sublimitas ejus: panis ei datus est: aquæ ejus fideles sunt. Regem in decore suo videbunt oculi ejus, cernent terram de longe, » h. e. sublimis et honoratus erit in Ecclesia, sustentationem quoque vitæ habebit sufficientem, denique Deum in cælo videbit, et inde terram hanc aspiciet, et velut punctum ac nihilum respiciet.

IN FESTO S. ÆGIDII.

CONCIONES.

- I. *Mirus venator S. Ægidius.*
- II. *Quomodo colendus noster patronus S. Ægidius.*
- III. *Lac cervæ Ægidianæ salutare.*

CONCIONES AUCTARII.

- I. *Mirus venator S. Ægidius.*
- II. *Quomodo colendus noster patronus S. Ægidius.*
- III. *Lac cervæ Ægidianæ salutare.*

CONCIO I.

MIRUS VENATOR S. ÆGIDIUS.

- I. Fugiendo prædam cepit. — II. Prædam e retibus suis exclusit. — III. Vulnera non inflixit, sed accepit. — IV. A cervæ non nisi lac accepit. — V. Pauperibus loco canum prædam comprehendit.

THEMA.

Quasi Nemrod robustus venator coram Domino.
Gen. X.

Cervorum venationi hodierna Sancti Ægidii dies, communi venatorum lege, finem imponit, ideoque venatorum quin et cervorum patronus habetur. Et jure quidem meo iudicio. Nam ipse in silvis una cum cervæ vixit, ejus lacte se pavit, a canibus eam defendit, denique velut venator precibus et sanctitate sua cepit, cicuremque reddidit, ut vere ipsi applicare possimus illud proverbium, Gen. X. *Quasi Nemrod robustus venator coram Domino.* Fuit Nemrod robustus venator, sed magis coram Deo: cujusmodi venatores plerique sunt in mundo, qui temporalia bona venantur. Atqui S. Ægidius vere *coram Deo robustus venator* fuit, qui prædas suas non in terra, sed in cælo indagavit; unde factum ut non solum cum viveret, coram regibus in honore esset, sed et nunc post mortem coram Deo et omnibus cælitibus, adeoque toto mundo. Verum ut hanc prædam assequeretur, non venatorum hujus sæculi, sed aliam longe, ac contrariam venandi rationem tenuit, ut videbimus.

I. Venatores alii persequendo capiunt feræ; sed non ita Sanctus Ægidius, qui fugiendo prædam cepit. Venatores mundi miro modo laborant, ut gloriam sibi parent, sed non assequuntur, nisi forte vanam et momentaneam coram paucis. S. Ægidius fugiendo vanam gloriam, comparavit sibi veram et immortalem gloriam: Con-

temne gloriam et eris omnibus gloriosior, ait S. Chrys. hom. IV. in Matth. Honor est instar timidi canis: insequeris illum, fugit: fugis illum, insequitur. Sic honor episcopalis S. Silvestrum, Gregorium, Augustinum, fugientes secutus est: fugit alios insequentes. Hanc ad honorem consequendos viam, fugam scilicet docuit nos Christus, dum ne raperetur ad regiam dignitatem, fugam cepit: inde exaltari meruit et accipere nomen super omne nomen. Hunc secutus noster Ægidius, magnus coram Deo et hominibus evasit. Solent feræ cum in latibulis suis deprehenduntur a venatoribus, alio migrare: uti leæna illa, quæ in antro quodam a Malcho monacho inventa, illico catulos suos mordicus prehensos in aliam specum tulit, teste D. Hieron. in vita ejus. Pari modo S. Ægidius, e regia stirpe factus humilis, ubi miracula patrare fama que coruscare cepit, ne stygio venatori præda ipse fieret, mox alio se contulit: Athenis in Galliam ad S. Cæsarium; inde ad Veredemium eremicolam: ubi rursum proditus, inde in densissimam eremum, ad Rhodani ostium confugit. Moyses a filia Pharaonis Thermut, nupta sed sterili adoptatus et regie educatus ut esset, regni hæres, quid egit adhuc puerulus? Coronam a rege sibi comiter impositam de capite prolabi passus pedibus calcavit, teste Josepho, l. II. antiquit. c. V. Grandior autem factus profugit ex aula ad Hebræos, inde in Madian. negans se filium Pharaonis (ex Philone I. de Moyse, et apostolo ad Hebr. XI.) eligens magis affligi cum populo Dei, ibique dum honorem fugit, ad maximum evectus, et Deus Pharaonis constitutus est. Hæc igitur via, hæc industria est venandi veros honores, fuga honorum, quam tenuit et Ægidius.

II. Venatores alii feræ in retia cogunt: S. Ægidius e contra prædam a retibus suis exclusit atque eiecit. Ridetur in proverbio simplex quidam rusticus qui in venatione vulpium lepores